



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiæ Augustæ Scriptores VI

Ælius Spartianus. Vulc. Gallicanus. Julius Capitolinus. Trebell. Pollio. Ælius
Lampridius. Flavius Vopiscus

Spartianus, Aelius

Lugduni Batavorum, 1671

Flavii Vopisci Syracusii Carus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51232)

I C A R U S.

I FATO remp. regi, ² eamque nunc ad summum evehi, ³ nunc ad minima retrahi, Probi mors satis prodidit. ⁴ Nam quum ducta per tempora variis ⁵ vel ere-

cta

CASAUBONUS.

I CARVS.] In Regio codice libri hujus inscriptio est, CARVS & NUMERIANVS. nam Carini vita in eo exemplari desideratur. Dubito an horum trium vitæ, liber unus & scriptio eadem censeari debeant. nam ut Probum ac Florianum uno, & item altero quatuor tyrannos; ita videtur patrem & duos filios unico libro complexus. censeas tamen aliter, cum in Cari vita legas ista de Carino: *Sed hæc aliàs.* & post pauca: *Sed hæc, ut diximus, aliàs in vita Carini dicenda sunt.* nam videtur ex his Carini vita separatim & scripta & edita: quare non unus liber; sed plures erant libelli. Melius tamen sentias, vitas quidem esse diversas; at librum unicum. Quare titulum hunc ita rescribe, CARVS NUMERIANVS & CARINVS. sequentes vero duos induce.

² *Eamque nunc ad summum evehi, nunc ad minima retrahi.* Vet. *vehi* & *reveh*. quorum utrumque minus probo. sed pro *ad minima*, scribendum *ad ima*, vel *ad inum*. nam summis opponuntur ima, non autem minima.

SALMASIUS.

I CARUS.] In Palatino codice nulla hujus libri inscriptio est, sed una serie continuatur, cum præcedenti Bonosi vita, nullo intercisis titulo. nec aliter editio princeps, quæ hanc viram cum superioribus uno contextu jungit, & ejus initium facit ab his verbis Epistolæ Cari, quæ infra habetur, *Ego vero si ita non esset, aliter*

non fecissem, reliquis quæ in medio sunt, omissis, ipso etiam epistolæ principio prætermisso. puto jam in antiquis codicibus desideratum fuisse hujus vitæ Cari initium, & inde factum, ut hæc quæ ad vitam Cari pertinebant, quod titulo & principio carerent, uno tenore cum superioribus connecterentur. quod etiam potest videri evenisse ex aliquot paginarum transpositione antiqui codicis, de quo cetera horum libellorum propagata sunt exemplaria. id facileprehendas ex veteri Palatina Bibliothecæ libro, in quo mirifice perturbatæ sunt, & confusæ, horum duorum principum vitæ, Cari, inquam, & Numeriani. hinc non mirum in tali confusione multa in his vitis ad arbitrium suum immutasse correctores, multa corrupisse, nonnulla etiam de suo addidisse. Vopiscum autem tres hos simul imperatores, Carum, Carinum & Numerianum unico libello comprehendisse, nullum dubium est. sic quadrigam tyrannorum supra uno libello complexus est, ut heic trigam imperatorum.

⁵ *Vel erecta motibus, vel afflictæ.* Pal. *vel erectam motibus, vel afflictam.* quomodo coherere possit hæc scriptura non video.

GRUTERUS.

³ *Nunc ad minima retrahi.* Sic Pal. forte *ad inum retrahi.*

CASAUBONUS.

⁴ *Nam cum ducta per tempora v.* Non translaticia locutio, *duci per tempora.* quæ

æta motibus vel afflictâ, nunc tempestate aliqua, nunc felicitate variata, ¹ omnia prope passa esset quæ patitur in homine uno mortalitas, ² videbatur post diversitatem malorum jam secura ³ continuata felicitatis mensura, post Aurelianum vehementem principem Probo ex sententia senatus & populi, leges & gubernacula temperante. Sed ruina ingens vel naufragii modo vel incendii accensis fataliter militibus, sublato è medio tali principe, in eam desperationem votum publicum redegit, ut timerent omnes Domitianos, Vitellios, & Nerones. ⁴ Plus enim timetur de incertis moribus principis, maxime in ea Repub. quæ recentibus confossa vulneribus, Valeriani captivitatem, Gallieni luxuriam, ⁵ xxx. etiam prope tyrannorum cæsa civilium mem-

quæ si cui minus placet, sublata voce ducta eadem remanebit sententia. sed nolim mutare: repugnant enim libri. duci per tempora nihil aliud quam durare, & ætatem ferre. istas autem fortunæ varietates passa Resp. Rom. tractu longi temporis.

¹ Omnia prope passa esset quæ patitur in homine uno mortalitas.] Ut singuli hominum nascuntur, variosque ætatis gradus varie decurrunt modo valentes, modo infirmi, tandemque intereunt: sic & Respublica. ideo Florus Romani populi res describitur, quasi hominem illum considerat: quod & Augustinus facit in digerendis populi Judaici temporibus: idem, sed aliter Vopiscus hoc loco.

² Videbatur post diversitatem malorum jam secura, continuata felicitatis mensura.] Quis ista intelligit? illa vero ita scripta intelligi non queunt. Legendum est, continuata felicitate usura. quam conjecturam nostram non mediocriter regius adjuvat, qui præfert felicitate. sic & Italicus unus: ubi etiam pro mensura, exaratum mansura. placet nihilominus quod posuimus.

⁴ Plus enim timetur de incertis moribus principis, maxime i.] Exple senten-

tiam ex libris: P. e. timetur de i. m. principis, quam speratur: max.

⁵ XXX. etiam prope tyrannorum cæsa civilium membra sibi met vindicantium, perpessa meruerit.] Hæc quoque sunt corruptissima. Puteani liber sic: XXX. etiam prope tyrannorum collisionibus cæsa bellorum membra sibi met eam vindicantium. Lego, Tr. & p. tyrannorum collisionibus cæsa membra, bello civilis sibi met eam vindicantium, perpessa meruerit. elegans verbum collisio *αὐτῶν* C. is. Horatius:

Græcia Barbariæ lento collisa duello.

GRUTERUS.

³ Continuata felicitate mansura.] Ita etiam Pal. nam longe pejus ante editi; continuata felicitatis mensura.

⁴ Plus enim timetur de incertis moribus Principis quam speratur.] Illud quam speratur, male deerat vulgatis; servabant tamen mss. omnes.

SALMASIUS.

³ Continuata felicitatis mensura.] Scribe ex eodem Palat. continuata felicitate mansura.

⁵ XXX. etiam prope tyrannorum cæsa civilium membra sibi met vindicantium perpessa meruit.] Nihil istis corruptius.

Ccc 5 non

- membra sibi met vindicantium perpeffa mœruerit.
- 2 Nam si volumus ab ortu urbis repetere quas varietates fit passa Rom. Resp. inueniemus nullam magis vel bonis floruisse vel malis laborasse. Et ut à Romulo incipiam vero patre ac parente Reip. quæ illius felicitas: qui fundavit, constituit, roboravitque Remp. atque unus omnium conditorum perfectam urbem reliquit? Quid deinde Numam loquar: ' qui frequentem bellis & gravidam triumphis civitatem religione munivit? ' Venit igitur usque ad Tarquini Superbi tempora nostra Resp. sed passa tempestatem de moribus regiis, non sine gravi exitio semper ultra est. Adolevit deinde usque ad tempora Gallicani belli: sed quasi quodam merfa naufragio, capta præter arcem urbe, ⁴ plus pene mali sensit ⁵ quam tunc boni habuerat. Reddidit se deinde in integrum, sed eo usque gravata est Punicis bellis ac terrore Pyrrhi, ut mortalitatis mala præcordiorum timore sentiret. Crevit deinde victa ³ Carthagine, trans maria missis imperiis: sed socialibus affecta

non minus corruptus Palatinus codex. nam eandem litteris omnibus lectionem servat. ad oram tamen adscriptum habebat manu recenti: *tyrannorum collusionibus cæsa civilium bellorum.* quam & eandem scripturam in Puteani libro se reperisse testatur Casaubonus. sed illa lectio videtur alicujus lectoris esse correctio, quæ ad marginem antiqui codicis adposita, postea ab imperitis librariis, pro vera in libros recepta est, & admissa. multa mihi in promptu, & ad manum conjectura, sed nulla ad gustum. exercent heic acumen suum ingeniosi.

GRUTERUS.

5 Triginta etiam prope tyrannorum cæsa civilium membra sibi met vindicantium perpeffa mœruerit. Sic à prima manu Pal. sed recentior inde fecit; *tyrannorum collusionibus cæsa civilium bellorum membra, sibi met eam vindicantium.*

CASAUBONUS.

2 *Gravidam triumphis civitatem religione munivit.* Πολύω χρόνῳ τῆ πόλεως ὑπὸ τῶν βασιλέων, & quandoque multos triumphos sibi parituram. imitatus illud vatis Latini:

Sed fore qui gravidam imperiis, belloque frementem

Italiam reget.

3 *Venit igitur usque ad T.* Scripti, *ignit ig.*

4 *Plus pene mali sensit, quam tunc boni habuerat.* Scrib. *quam adhuc boni habuerat.*

GRUTERUS.

1 *Qui frequentem bellis.* Pal. *frementem.*

3 *Venit igitur usque ad Tarquini.* Sic etiam Pal. vulgati enim, *Venit igitur.*

5 *Quam tunc boni habuerat.* Palat. *quam tunc boni. forte, quam tunc habebat boni.*

affecta discordiis, extenuato felicitatis sensu usque ad Augustum ¹ bellis civilibus confecta consenuit: per Augustum deinde reparata; si reparata dici potest, libertate deposita. Tamen utcunque (etiamsi domi tristis fuit) apud exterarum gentes effloruit: passa deinceps tot Neronum, per Vespasianum caput extulit. ² Nec omni Titi felicitate lætata, Domitiani vulnerata immanitate, per Nervam atque Trajanum usque ad Marcum solito melior, Commodi vecordia, & crudelitate lacerata est: nullum post hæc præter Severi diligentiam usque ad Alexandrum Mammææ sensit bonum. Longum est quæ sequuntur universa connectere. Uti enim principe Valeriano non potuit, & Galienum per quindecim annos passa est. Invidit Claudio longinquitatem imperii, amans varietatum prope & semper inimica fortuna justitiæ. Sic enim Aurelianus occisus est, & sic Tacitus absumptus, sic Probus cæsus, ut appareat nihil tam gratum esse fortunæ quam ³ ut ea quæ sunt in publicis actibus, ⁴ eventuum varietate mutantur. Sed quorsum talibus querelis ⁵ & temporum casibus destinemur? veniamus ad Carum, medium (ut ita dixerim) virum, inter bonos magis quam inter malos principes collocandum, ⁶ & longe meliorem, si Carinum non reliquisset heredem. ⁷ Cari patria sic

¹ Bellis civilibus confecta consenuit.] Pal. adfecta, non pejus.
⁴ Eventuum varietate mutantur.] Ita etiam Pal.
⁵ Et temporum casibus destinemur.] Pal. detinemur.

CASAUBONUS.

² Nec omni Titi felicitate lætata, D.] Propter brevem principatum Titi: cuius bonitate simul propemodum cepit frui ac desit. nihil mutantur.
³ Ut ea quæ sunt in publicis actibus eventuum varietate mutantur.] Scripti, mutantur. perperam. nec mutantur satis

mihî probum. puto verum, notentur. aut mutari cape pro *τοὺς ἀλλοτρίους*.
⁵ Et temporum casibus destinemur?] Scrib. destinemur?
⁶ Et longe meliorem, si Carinum non reliquisset heredem.] Dixisset melius, feliciorum. sic Spartianus in Severo: Quid Marco felicior, si Commodum heredem non reliquisset?
⁷ Cari patria sic ambigue à plerisque proditur, ut p.] Omittit auctor super Cari patria sententiam plerisque veterum probatam: Narbone enim genitum scribunt & Sextus Aurelius Victor Schotti, & ille alter vulgaris: ac plures ita crediderunt, ut ex Sidonii

sic ambigue à plerisque proditur, ut præsumpte veritatem dicere nequeam quæ illa vera sit. Onesimus enim, qui diligentissime vitam Probi scripsit, dicit Romæ illum & natum & literis eruditum: sed Illyricianis parentibus fuisse contendit. Sed Fabius Cerialianus, qui tempora Cari, Carini, & Numeriani solertissime persequutus est, neque Romæ, sed in Illyrico genitum, neque Pannoniis, sed Pœnis parentibus asserit natum. In ephemeride quadam legisse memini, Carum Mediolanensem fuisse, sed avo juri Aquileiensis civitatis insertum. Ipse, quod negari non potest, ut epistola ejus indicat quam proconsul ad lega-

tum
 nri carmine de Narbone apparet. hoc voluit & Zonaras cum scripsit ex antiquioribus Græcis: Καρὸν τὸ Ἰλλυρικὸν καλεῖται Ἰω. id est Gallus.

SALMASIUS.

7. Cari patria sic ambigue à quibusdam proditur.] Inter varias auctorum de patria Cari opiniones, hæc etiam quorundam fuit, Narbone eum in Gallia natum asserentium: de qua tamen monere heic omisit Vopiscus, cum multas referret. sed vir summus, Josephus Scaliger falli eos auctores opinatus est, qui Carum Narbonensem è Gallia fuisse dixerunt, cum Narbonensis ex Illyrico fuerit. Narbonam enim nobilem in Illyrico coloniam à Plinio & Ptolemæo memorari. meminit sane Ptolemæus in descriptione Illyrici, Ναρθώνιας ἡλιωνίας ἐπίσημος. Sed Plinius Narbonam eam non Narbonam vocat. atque ita etiam in itinerario Antonini, & veteri Peutingerorum tabula, Narbona, inquam, non Narbona. non male, ut putat idem Scaliger. sed omnino bene. Narbona enim hæc colonia appellata est, non Narbona. & satis hoc indicat Plinius cum dicit appositam eam esse cognomini fluvio. quis ille fluvius? Naro, vel Nar. Ptolemæus Ναρθώνια vocat, Mela Narem, inde igi-

tur duxit appellationem Narona colonia. quod miror virum magnum minime animadvertisse. nam Ptolemæum ex Plinio magis, quam ex Ptolemæo Plinium corrigendum judicasset. non dubium igitur quin apud Ptolemæum scribendum sit Ναρθώνια ἡλιωνία ἐπίσημος.

CASAUBONUS.

1. Præsumpte veritatem dicere.] Præcise, & ἀφαιρητικῶς, vel πεπρωμένος, & cum certitudine. Mirum vero genus loquendi: ut præsumpte veritatem dicere nequeam quæ illa vera sit. sed censeo alterutram vocem delendam, aut veritatem aut vera.

4. Sed avo juri Aquileiensis civitatis insertum.] Fortean scripserat, ab avo.

5. Quam proconsul ad legatum scripsit.] Vetus liber, quam proconsule ad legatum suum scripsit.

GRVTERVS.

1. Ut præsumpte veritatem dicere nequeam.] Pal. præsumpta gravitate dicere nequeant. Forte, præsumpta gravitate dicere nequeam.

2. Scripsit Roma illum & natum, &c.] Sic optime Pal. male vulgati adulerant, scripsit, dicit Roma.

3. Fabius Cerialianus.] Palat. Facinus Cerialianus. forsan Cerialianus.

I. C. 100

tum scripsit, quum eum ad bona hortaretur officia, Romanus vult videri. Epistola Cari: ¹ *Carus* ² *Manlius Aurelianus proconsul Cilicia, Junio legato suo. Maiores nostri Romani illi principes in legatis creandis hac usque sunt consuetudine, ut morum suorum specimen per eos ostenderent quibus Rempubl. delegabant. Ego vero, si ita non esset, aliter non fecissem: feci aliter, si te iuvante non fallar. Fac igitur ut majoribus nostris, id est Romanis non discrepemus viris.* ⁶ Vides quod tota epistola majores suos Romanos vult intelligi. Indicat & oratio ejus ad Senatam data istam generis prærogativam. Nam quum primum imperator esset creatus, sic ad senatorium ordinem ⁷ scripsit inter cætera. *Gaudendum est itaque P. C. quod unus ex vestro ordine, vestri etiam generis imperator est factus.* ⁸ *Quare adnitemini ne meliores*

CASAUBONUS.

¹ *Carus Manlius Aurelianus p.*] Abest à regio vox *Carus*. quæ ceteris nominibus in hujus epistolæ inscriptione contra Romanam consuetudinem anteposita, mendæ suspicionem movet. vox vero *Manlius* palam corrupta. nusquam enim illi locus inter hujus imperatoris nomina. postremo cur *Aurelianus* se hic appellat *Carus*, alibi semper *Aurelium*? propter has rationes emendandum censeo hunc locum, ac scribendum: *M. Aurelius Carus*. sic enim veteres nummi. paullo aliter Puteani codex: *Manlius Valerius Carus pro consule*. perspicuo errore.

³ *Si ita non esset, a.*] Id est, etiam si traditum à majoribus nostris hunc morem non accepissem.

⁴ *Feci aliter, si te iuvante non fallar.*] Nullus hinc sensus. scribendum, non *feci aliter*.

⁵ *Id est Romanis.*] Videri possunt inserta hæc à Vopisco inter describendum.

⁷ *Scripsit inter cætera.*] Præstat antiquorum interpunctio: sic ad senatorium ordinem scripsit, inter cætera.

idem supra observabamus.

⁸ *Quare adnitemini ne meliores peregrini quam vestri esse videantur.*] Scribe, *adnitemur*: è libris. peregrini imperatores boni non pauci: imprimis Alexander Severus, princeps bonitate nemini secundus.

SALMASIUS.

¹ *Carus Manlius Aurelianus.*] Omnino scribendum: *Marcus Aurelius Carus*. ita passim in saxis nominatur. ita etiam ejus duo filii: *Marcus Aurelius Carinus*, & *Marcus Aurelius Numerianus*.

⁶ *Vides quod tota epistola.*] Editio princeps: *vides tota epistola majores suos Romanos velle intelligi.*

GRUTERVS.

² *Manlius Aurelianus proconsul.*] Editi amplius, *Carus Manlius*. sed ea vox non comparet in regio aut Palatin. nisi à manu secundaria, & postponitur. habet præterea idem Pal. *Manlius Valerius proconsule*. si nummos sequitur, refingendum, *Marcus Aurelius Carus*.

⁴ *Feci aliter, te iuvante non fallar.*] Ita & Pal. ego non intelligo has argutias.

⁸ *Quare adnitemur.*] Sic recte scripti. pess-

res peregrini quam vestri esse videantur. Hoc quoque loco satis clarum est illum voluisse intelligi se esse Romanum, id est Roma oriundum. Hic igitur per civiles & militares gradus, ut tituli statuarum ejus indicant, præfectus prætorii à Probo factus ¹ tantum sibi apud milites amoris locavit, ut interfecto Probo tanto ⁶ principe, solus dignissimus videretur imperio. Non me præterit suspicatos esse plerosque, ² & eos in fastos retulisse, Cari factione interemptum Probum: sed neque meritum Probi erga Carum, neque Cari mores id credi patiuntur: simul quia Probi mortem & acerrime & constantissime vindicavit. Quid autem de eo Probus senserit, indicant literæ de ejus honoribus ad senatum datæ. *Probus Augustus amantiſſimo ſenatus ſuo ſalutem dicit. Inter cætera: Felix eſſet noſtra Reſp. ſi qualis Carus eſt, aut plerique veſtrûm, plures haberem in actibus collocatos. Quare equeſtrem ſtatuam viro morum veterum (³ ſi vobis placet) decernendam cenſeo: addito eo, ⁴ ut publico ſumptu, vel eidem exadificetur domus, marmoribus à me delatis. Decet enim noſ talis integritatem remunerari viri. & reliqua. Ac ne minima quæque connectam, & ea' quæ apud alios potuerunt inveniri, ubi primum accepit imperium, ⁵ conſenſu omnium mili-*

peſſime editi, adnitemini, erat enim in manu Cari, non Senatorum.

CASAUBONUS.

¹ *Tantum sibi apud milites amoris locavit.] Id est collocavit, vel depositum aliquod. nam id vult quod Græci dicerent, τοῦ τῶν ἐπιπέδων ἐς τὸς τῶν ἐπιπέδων γὰρ τὴν ἡγεσίαν. ita passim: ἔπειτα καὶ τὸ ἐπιπέδον ἔστι. benefactis aliquem sibi conciliare.*

² *Et eos in Fastos retulisse, Cari factione interemptum Probum.] Fastos improprie appellat Annales, vel Historias.*

⁴ *Ut publico sumptu vel eidem exadificetur domus.] Dele rō vel. quam voculam regius non habet. alioquin de-*

fuerit aliquid integrandæ sententiæ. Erat honoris genus apud Romanos cum de publico domus alicui exstruebatur, ut olim Claudio adhuc privato. Suetonius. sic aliis.

SALMASIUS.

³ *Si vobis placet.] Si vobis placent.*

⁵ *Quæ apud alios.] Vet. ed. quæ apud eos. perperam.*

GRUTERUS.

⁴ *Ut publico sumptu vel eidem exadificetur domus.] Palat. plane retinet illud vel. quod videtur alioquin superfluum, aut mutandum in aliud quid.*

⁶ *Consensu omnium militum.] Pal. concessu.*

x Libe-

militum bellum Persicum quod Probus parabat, aggressus est, ¹ liberis Cæsaribus nuncupatis: & ita quidem ut Carinum ad Gallias tuendas cum viris lectissimis destinaret: secum vero Numerianum adolescentem, cum lectissimum, tum etiam disertissimum, duceret. Et dicitur quidem sæpe dixisse se miserum quod Carinum ad Gallias principem mitteret, neque illa ætas esset Numeriani ut illi Gallicanum, quod maxime constantem principem quærit, crederetur imperium. Sed hæc aliàs. ² Nam extant jam literæ Cari, quibus apud præfectum suum de Carini moribus queritur, ut appa-

CASAUBONUS.

¹ Liberis Cæsaribus nuncupatis.] Vel ut scripserunt alii, in participatum imperii vocatis. Zonaras, τῶν οἰκείων ἢ Κασαίων ἢ Νυμεριανῶν ἐπισημῶσι βασιλικῶν ἀγ. ἀδ. ἡγ. ἡ. non temere autem scripsisse hoc Zonaram, verum ex vetustorum auctorum fide, argumento sunt leges Codicis, quarum hæc inscriptio est: IMPPP. CARVS, CARINVS, & NVMERIANVS AAA. Solent vero inter Cæsares & Augustos parum accurate distinguere: nam etiam Vopiscus Constantium qui fuit Diocletiani Cæsar, imperatorem nostrum nuncupat, in lapidibus dicuntur & Carinus & Numerianus PRINCIPES IVVENTVTIS. Notat vero diserte in Carino Vopiscus ea lege fuisse ejus imperium Cæsarianum, ut omnia faceret quæ Augusti faciunt.

² Nam extant jam literæ Cari, q.] Scrib. etiam l. mirum vero de his literis tacere Vopiscum in ipsius Carini vita.

SALMASIUS.

¹ Liberis Cæsaribus nuncupatis.] Hinc Cæsares nobilissimi vocantur in veteri saxo. M. AVRELIO. CARINO. NOBILISS. CÆSARI. M. AVRELIO. NVMERIANO. NOBILISS. CÆSARI. in

vetusto tamen Cari nummo etiam Augusti appellantur. VIRTVS. AVGG. XXII. E. Δ. extant & nummi, ut viri doctissimi annotarunt, in quibus excusum est: IMP. CARINVS. P. F. AVG. in altera superficie: VIRTVS. AVGG. de Caro tantum & Carino intelligi manifestum esse scribit Scaliger. sed cur non de Caro potius, & Numeriano? melius enim jungatur eum Caro Numerianus quam Carinus: nam Carus Numerianum comitem assumpsit in expeditione quam contra Persas susceperat, Carinumque solum in occidente reliquit, ad tuendas Gallias destinatum. præterea Carinus Caro vivente nunquam Augustus appellatus est, nec imperator, hoc est ἀὐτοκράτωρ, ut in illo nummo inscribitur. certum igitur est, & plus quam certum extincto jam Caro, & nuntio nondum perlato de Numeriani morte, qui post patrem etsi fortasse non longo, tamen aliquo intervallo occisus est, nummum illum cum fuisse, & de Caro & Numeriano esse intelligendum. de quibus etiam accipi debet nummus iste: IMP. C. NVMERIANVS. P. F. AVG. in adversa parte: ORIENS. AVGG. nam post mortem Cari nummus hic cusus est, superstitibus Carino & Numeriano, ut infra multis ostendam ad Carini vitam.

¹ Sed

appareat verum esse quod Onesimus dicit, habuisse in animo Carum ut Carino Cæsareum abrogaret imperium. ¹ Sed hæc (ut diximus) aliàs in vita Carini dicenda sunt. ² Nunc ad ordinem revertamur. ³ Ingenti apparatu, & totis viribus Probi profligato magna ex parte bello Sarmatico quod gerebat, contra Persas profectus, nullo sibi occurrente, Mesopotamiam Carus cepit, & Ctesiphontem usque pervenit. Occupatisque Persis domestica seditione, ⁴ imperatoris Persici nomen meruit. ⁵ Verum quum avidus gloriæ, præfecto suo maxime iurgante, qui & ipsius & filii ejus quærebat exitium, cupiens imperare, longius progressus esset, ut alii dicunt morbo; ut plures, fulmine interemptus est. Negari non potest eo tempore quo periit tantum fuisse subito tonitruum, ut multi terrore ipso exanimati esse dicantur. Quum igitur ægrotaret atque in tentorio jaceret, ingenti exorta tempestate, immani coruscatione, immaniori, ut diximus, tonitruo, exanimatus est. ⁶ Junius Calphurnius qui ad memo-

riam

CASAUBONUS.

¹ Sed hæc, ut diximus, alias in vita Carini dicenda sunt.] Sapiunt alienam manum illa, in vita Carini. extant tamen in manuscriptis sic: in ipsius Carini vita.

⁴ Ingenti apparatu & totis viribus Probi prof.] Adjectum hoc ad Probi honorem, quem unice miratus est auctor. Sic Lampridius in Alexandro: Sed omnis apparatus militaris, qui postea est ductus in Germaniam à Maximo, Alexandri fuit.

⁵ Imperatoris Persici nomen meruit.] Extat apud Adolphum Oconem virum eruditissimum veteris nummi inscriptio hæc: DIVO CARO PARTHICO. id est Persico. sic Ctesiphontem urbem Parthiæ dixit in eadem historia Aurelius Victor.

⁶ Verum cum avidus gloriæ pr.] Aurelius Victor: suis hostibus cum gloriæ inconsulte avidior Ctesiphontem urbem Par-

thiæ inclutum transgreditur, fulminis ictu conflagravit.

GRUTERUS.

² In ipsius Carini vita dicenda sunt.] Ita quoque Pal. nosser.

³ Nunc ad ordinem revertamur.] Pal. revertemur.

⁷ Junius Calphurnius.] Pal. Julius.

SALMASIUS.

⁵ Imperatoris Persici nomen emerit.] Prima editio: imperatoris Persi.

CASAUBONUS.

⁷ Junius Calphurnius, qui ad memoriam distabat, &c.] Nihil muto neque audio eruditissimum virum qui commendat: non enim multo aliter Græcis hic dictus est ἀντιπαρθεσιμώμενος. Flaviana vero periphraσις eleganter exprimit officium magnæ memoriæ. ejus enim erant partes cu-

rare, ut quæ quotidie accidebant, quorum memoriam conservare principis intererat, in commentarios referrentur: cui ministerio ipse ingenium potius quam manum ministrabat. ἀντιγραφεῖα vero Græci dixerunt, quod vicem principis cui erat à memoria ipse scriberet aut diceret. Petrus patricius aut magister, in Excerptis legationum: Γαλέριος καὶ Διοκλητιανὸς εἰς Νίσσῶν συνήλθον. ἔθα κρινῆ βυλδοπέδροι, σέλλεσσιν εἰς Περισίδι πρὸς Ἐδύτιω Σικελίου Πρῶτον ἀντιγραφεῖα τὴ μνήμης.

SALMASIUS.

7 Julius Calpurnius qui ad memoriam dicitur. Ad memoriam dicitur sic dicebatur, qui memoriæ dictator erat, quemadmodum & procurare ad alimenta, qui alimentorum erat procurator: & procurare ad vicissimam, qui vicissimam procurabat. ita & parere atque obsecundare ad memoriam dicebantur, quos etiam vulgo obsecundatores memoriæ vocabant hinc obsecundatores scriniorum in Cod. Theod. de proximis scriniorum. parere ad memoriam dixit Spartianus, de memoriæ magistris, & qui ad memoriam dictabant. dictator igitur ad memoriam, & dictator memoriæ idem omnino erat, & is erat plane quem Græci dixerunt ἀντιγραφεῖα τὴ μνήμης. sic procurator ad alimenta, procurator ad bona damnatorum, procurator ad prædia Gallicana, in veteribus inscriptionibus. vide quæ supra de hoc genere loquendi observavimus. dictator memoriæ, est ἀντιγραφεῖα τὴ μνήμης. sic & dictator epistolarium, ὁ ἀντιγραφεῖα τὴ ἐπιστολῶν. & ita de ceteris. quattuor enim erant ἀντιγραφεῖς, sive dictatores: primus libellorum; secundus memoriæ: tertius epistolarium: quartus dispositionum. & totidem scrinia. Anonymus scholiastes in Justiniani Novellas, quæ à Juliano antecessore Latinæ factæ sunt: quattuor sunt scrinia: primum, quod dicitur libellorum: secundum memoriæ: tertium dispositionum; quartum epi-

stolarum. unde & quattuor antigraphæ sunt. dicti dictatores à dictando. qui epistolas principis dictabat, ἀντιγραφεῖα τὴ ἐπιστολῶν, dictator epistolarum. verba enim tantum commodabant, non etiam manum. Vopiscus: hanc epistolam Claudius ipse dictavit. verba magistri memoriæ non requiro. habebant sub se librarios, & scribas, & eos qui scrinium gerebant. Lampridius in Alexandro Severo: post meridianas horas subscriptioni & lectioni epistolarum semper dedit operam, ita ut ab epistolis & libellis, & à memoria semper assisterent: nonnunquam etiam si stare per valetudinem non possent, sederent, relegentibus cuncta librariis & iis qui scrinium gerebant, ita ut Alexander sua manu adderet, si quid esset addendum. quos Græci ἀντιγραφεῖς, eos Latini dictatores dixerunt. qui ἀντιγραφεῖα, scribam verteret, erraret. tantum enim differt ἀντιγραφεῖς à scriba, quantum dictator à librario. scribas sub se habebant ὁ ἀντιγραφεῖς. Novella Constantini Porphyrogenetæ, de sportulis scribæ: ἐπειδὴ ὁ Σκριβῆς οὐκ ἔστι τέλειος δικαστής, ἀλλὰ καὶ τὴν ἱερατικῶν κερτῶν καὶ αὐτῶν τὴν ἀντιγραφεῖων ὑποδέχεται. in Glossis βασιλικῶν ἀντιγραφεῖς Διγθήκης, dicitur testamenti dictator. antecessorem enim exponunt, ἀντιγραφεῖα Διγθήκης. Ἀντικένσωρ, ἀντιγραφεῖς Ἀντικένσωρ, ἀντιγραφεῖς Διγθήκης. antecessor enim est jurisperitus, qui testam. dictat, tabellio qui scribit, qui & νομικός. Hef. Ἀντικένσωρ ὁ πρὸ νόμους μεμαθηκώς. ἀντιγραφεῖς igitur est dictator. Gloss. ἀντιγραφεῖς, dictator, rescriptor. ἀντιβολῆς etiam exponitur in optimis Glossis: dictator, μόναρχος, ἀντιβολῆς, πρητής. ἀντιπρόσδωρ etiam dictare est. Harpocration: ἀντιβληθέντων, ὑπαγορευθέντων. ὑπαγορευθῆναι est dictare. ἀντιβολῆς is proprie dicebatur, qui exemplaria inter se contendebat, & si quid in illis vitiosum esset, corrigebat, & emendabat. unde ἀντιβόλλειν, corrigere Grammatici interpretantur. Hef.

sychius: ἀντιγράβειν, διορθῆν, ἐπιστρέφειν. Glossa: ἀντιγράβειν, recognoscere. id etiam faciebant, epistolarum, libellorum, & memoria ἀντιγραφεῖς, qui & dictatores dicebantur. nam postquam dictassent, relegendis libratibus & scriniariis, dictata recognoscabant, & si quid corrigendum esset, rescribent & corrigebant. ἀντιγραφεῖν etiam recensere significat, & rescribere. rescribere autem opus suum dicebatur auctor qui emendandi animo illud recognoscerebat. Suetonius in Julio: exist. matque rescripturum & correcturum fuisse. ἀντιγραφῶν sane & ἀντιγραφῶν idem. Glossa: ἀντιγραφῶν, dictator, rescriptor. ἀντιγραφῶν, rescriptum. nam id etiam significabat ἀντιγραφεῖν, alicui scilicet rescribere, vel contra aliquem scribere, Glossa: ἀντιγραφῶν, dictatura, rescriptum. hoc sensu ἀντιγραφῶν exponit Ulpianus in Demosthenem, τὸ ἀντιγραφῶν ἵππερ τὸ βαλῆς πρὸς τὸ δῆμον, ἐν οἷς ἀνδρῶνται. aliter ἀντιγραφῶν Polluci, ὁ τῆ βαλῆ ἀντιγραφῶν, ἢ πρὸς ἀντιγραφῶν. ἀντιγραφῶν proprie est τὸ ἴσον γραφεῖν, exemplum scribere, unde ἀντιγραφῶν, exemplum vel exemplar. quod & ἀντιγραφῶν etiam dicebant. Glossa: exemplum, ἀντιγραφῶν, ἀντίτυπον. exemplo, ἀντιγραφῶν. ἴσον etiam Græci appellarunt. Hesych. ἕξομοτυπον, ἴσον. Pollux: εἶποι δὲ ἀντιγραφῶν, ἢ ἀντιγραφῶν, ἢ ἀντιγραφῶν, ἢ ἀντιγραφῶν. est ubi idem significant ἀντιγραφῶν & ἀντιγραφῶν. nam ἀντιγραφῶν, & ἀντιγραφῶν idem. ἀντιγραφῶν Latini etiam contra scribere dixerunt. ἀντιγραφῶν τὰς λόγους, contra scribere rationes. & contra scriptor rationum ἀντιγραφῶν τὸ λόγων. unde in veteri inscriptione: CONTRASCIPTOR RATIONIS SVMMI CHORAGI. ubi contra scriptor est ἀντιγραφῶν. vulgo vocamus contrarotulatore. de qua voce nos supra. ἀντιγραφῶν porro cancellarium etiam reddit Isidorus in Glossis: anti graphus, cancellarius. male ho-

die legitur anti graphus. anti graphus Latine scriptum declinatumque, ut hierens & archierens, de quibus supra. adeo verum est autem τὸ ἀντιγραφῶν dictatorem Latinis dictum, ut Græci recentiores summi imperii magistratum in veteri repub. hoc est dictatorem, ἀντιγραφῶν verterint, cum tamen ille nihil minus fuerit quam ἀντιγραφῶν. hinc illa in chronico Alexandrino: Παπῆς Κέρων ἀντιγραφῶν κατῆσι, Δρῆς σραληγῶν ἱππέων. quod ineptissimum est. dictator, qui epistolis aut libellis dictandis dat operam, is proprie est qui Græcis ἀντιγραφῶν. sed dictatorem qualis apud Romanos fuit, summæ nempe, & regie potestatis magistratum, nemo sanus verterit ἀντιγραφῶν. Dionysius alique Græci veteres μόναρχον interpretantur, & ita etiam in Glossis: dictator, μόναρχος. dictatores pro scribis etiam infima Latinitas posuit. & dictare pro scribere usurpavit. Epistola Gregorii quæ in veteribus, & plutæariis libris reperitur, & præfixa legitur notis Tironis & Senecæ: per dictatos suos scribendum curavit. ubi dictati, sunt scribæ vel ἀντιγραφῶν, pro dictatores. ut explorati pro exploratores, Glossa βασιλικῶν: ἐξωπλοῦστοι, πρῆστοεις, ἀπικροσάριοι, ἢ ἐκπλοῦστοι. ita etiam vocatur in Leonis tacticis. sic gladiator pro gladiator in Glossis: gladius, μονομαχος, & manu ductus pro manu ductor, in iisdem: manu ductus, μεσσοχος. & speculatus, pro speculator. speculatus, παπῆσκοπος. ἢ ἀντιγραφῶν. sic tauroboliatas, in antiqua inscriptione pro tauroboliatas. ita etiam plane hodie curatos vocamus, qui curatores essent potius dicendi, quod curam animarum gerant. veteres Glossæ, dictatum, ἀμικαῖον exponunt. dictatum, ἀμικαῖον, dictatum, ἀμικαῖον, & ἀναδοξασθῆν & μαθημα. ita enim legendum. colloquia Græcolatina: ποιῆσαι τὸ πρὸς ἀντιγραφῶν ἀμικαῖον: fac locum, ut scribas dictatum. alia item colloquia scholastica: & ego in primo ordine dictatum scripsi.

scripsi. ita vetus liber. nam vulgo est: certamen suscipi. in Græco ita habetur: ἐξὼς οὗ τῆς ὑπογραφῆς ἀμειδιῶν ἐξελθόντων ἀμειδιῶν, Helychius interpretatur εἰς πᾶσι γράφειν. ἀμειδιῶν, ἐπιζῆν, & εἰς πᾶσι γράφειν. hinc quod pueri certatim scribebant, & ab ore magistri dictantis excipiebant, ἀμειδιῶν dixerunt. sed de his alibi. qui dictabat ad memoriam, ἀνὴ γραφῆς ἢ μνήμης dicebatur. qui ad epistolas, ἀνὴ γραφῆς ἢ ἐπιστολῶν. & ita de ceteris. nam quattuor erant, & totidem scrinia. singula quippe scrinia suam habebant ἀνὴ γραφῆα. Summus Jurisconsultus magistrōs scriniorum ἀνὴ γραφῆς interpretatur. verus tamen auctor cujus scholia Latina habentur in aliquot Justiniani Novellas, aperte antigrapheos à magistrōs scriniorum distinguit, his verbis quæ & paulo ante jam retulimus: quattuor sunt scrinia: primum quod dicitur libellorum: secundum memoria: tertium dispositionum: quartum epistolarum. unde & quattuor antigrafei sunt. Nam magistrōs. hæc postrema mutila sunt & corrupta. nihilo tamen secius facile constat ex illis diversos esse scriniorum magistrōs ab antigrapheis. magister scriniorum omnia scrinia curabat, & sub se habebat omnes antigrapheos, qui numero quattuor erant, quot & scrinia. antigrapei igitur non erant magistrōs scriniorum, sed proximi. proximus dicebatur in unoquoque scrinio, qui primus erat, & in capite constitutus. ut proximus ab epistolis, proximus à libellis, proximus ad memoriam. atque idem omnino proximus qui & ἀνὴ γραφῆς. iidemque proximi, qui & primi. Glossæ βασιλικῶν ἀρχεῖμοι, ὑπογραφῆσι. leg. xi. Cod. Theod. de proximis: per omnia scrinia nostra singulis annis emensis, qui sunt in capite constituti, uno anno tenent proximum. & leg. x. ejusdem tit. ad similitudinem proximorum qui in scriniis militantes comitum dignitatibus adornantur, hi quoque qui priores in scrinio dispositionum fuerint, & comitis acceperint

dignitatem. proximi ergo iidem, qui & priores in scriniis. obsecundatores scriniorum vocat eos lex i. tit. quo supra: obsecundatoribus sacrorum scriniorum, quorum mentibus ingenijque committimus, quidquid in alios quoque perennium sæpe profecerimus sanctionum. ἀντιγραφῆς plane expressit. eorum enim ingenio formabantur principis sanctiones, epistolæ, responsa, & rescripta. mentem igitur tantum, non manum commodabant. atque inde dictatores dicti, qui idem erant cum antigrapheis. & sub se habebant, librarios, exceptores, & eos qui scrinium gerebant, hoc est scrinarios. atque hi manu tantum non mente in scriniis militabant. de magistrōs memoriae dixit Capitolinus, parere eos ad memoriam. obsecundatores memoriae liceat dicere. nam obsecundatores scriniorum vocat Theodosius scriniorum proximos. in scrinio dispositionum non dicebantur proximi, sed comites tantum. atque iidem quoque magistrōs dispositionum audiebant, ut constat ex leg. i. Cod. Theod. de proximis: & ex iis quæ tractavimus ad vitam Alexandri Severi. proximi autem ceterorum trium scriniorum, etiam comitum titulo ac nomine ornabantur, & magistrōs dicebantur. singuli enim proximi singulis præerant scriniis, qui & magistrōs & principes, & primi illius scrinii audiebant, cui præpositi erant. proximus memoriae, idem & magister erat memoriae, qui in scrinio memoriae primus ac princeps militabat, idem dicendum de proximo epistolarum, & proximo libellorum & comite dispositionum. hi omnes ἀνὴ γραφῆς appellabantur, & parebant magistrōs scriniorum. magister scriniorum omnia scrinia curabat: qualem fuisse legimus Ulpianum sub Alexandro Severo & Papinianum sub Bassiano. magister epistolarum, unum tantum curabat scrinium, nempe epistolarum: magister dispositionum, uni scrinio præerat, dispositionum scilicet. ita & de magistrōs libellorum, & memoriae. hi omnes

riam dictabat, talem ad præfectum urbis super morte Cari epistolam ¹ dedit inter cætera: *Quum* (inquit) *Carus princeps noster verè carus agrotaret, tanti turbinis subito exorta tempestas est, ut caligarent omnia, neque alter alterum nosceret: coruscationum deinde ac tonitruum in modum fulgurum igniti sideris continuata vibratio, omnibus nobis veritatis scientiam sustulit. Subito enim conclamatum est imperatorem mortuum, ² & post illud præcipue tonitruum quod cuncta terruerat. His accessit quod cubicularii dolentes principis mortem, incenderunt tentorium. Unde fama emerfit fulmine interemptum eum quem, quantum scire possumus, aegritudine constat absumptum. ³ Hanc ego epistolam idcirco indidi quod plerique dicunt ⁴ vim fati quondam esse ut Rom. princeps Ctesiphontem transire non possit: ideoque Carum fulmine absumptum quod eos fines transgredi cuperet qui fataliter constituti sunt. Sed sibi habeat artes suas timi-*

singulorum scriniorum magistri, sive proximi parebant magistris scriniorum, qui omnia principis scrinia curabat, & sub sua dispositione habebat. sic in admissionibus, quattuor erant admissionum decuriæ. singulis decuriis, singuli præerant proximi, & unusquisque proximus, illius decuriæ cui præerat, magister etiam dicebatur. omnes autem erant sub magistro admissionum, cui quattuor illæ admissionum decuriæ cum suis proximis parebant. idem & in aliis Augustæ domus officii videre & observare est. qua de re plura dicam vel potius jam dixi in libro de officii domus Augustæ.

CASAUBONUS.

¹ Dedit inter cætera.] Epistolam dedit inter cætera.

⁴ Hanc ego epistolam idcirco indidi, quod plerique dicunt, vim fati quondam esse, ut R.] Aurelius Victor de ea re: Id quidam jure ei accidisse referunt: nam

cum oracula docuissent adusque oppidum memoratum, (Ctesiphonta) perirenti victoria lucere, longius delatus, poenas luit. Atqui constat Romanos ultra Ctesiphontem & Tigrim provincias habuisse Transfigritanas, quas à Galerio partas, restituit Persis Jovianus.

SALMASIUS.

² Exorta subito tempestas est ut caligarent omnia.] Vetus editio: ut caligarent omnia. non putem caligare possum à Vopisco pro obtenebrare, & offuscare. sequitur in eadem editione: neque alter alterum nosceret permitteretis omnino scribendum: neque alteri alterum noscere permitteretur.

³ Et post illud præcipue tonitruum.] Eadem editio: tonitruum. esset hic tonitrus. sequitur tamen: quod cuncta terruerat. itaque legendum esset, tonitruum hic tonitrus, hoc tonitruum, & hoc tonitruum dicebant. & nihil mutandum.

⁵ Vim fati quondam esse.] Legendum: vim fati quondam esse.

timiditas calcanda virtutibus. ¹ Licet plane ac licebit per sacratissimum Cæsarem Maximianum Persas vincere, atque ultra eos progredi: ² & futurum reor, si à nostris non deseratur promissus numinum favor. Bonum principem Carum fuisse, cum multa indicant, tum illud etiam quod statim adeptus imperium, Sarmatas adeo morte Probi feroces, ut invasuros se non solum Illyricum, sed Thracias quoque Italiamque minarentur; ³ ita inter bella patiendo contudit, ut paucissimis diebus Pannonias securitate donaverit, occisis Sarmatarum sedecim millibus, captis diversi sexus viginti millibus. Hæc de Caro satis esse credo. Veniamus ad Numerianum, ⁴ cujus & vicinior patri, & admirabilior per socerum suum facta videtur historia. Et quamvis Carinus major ætate fuerit, prior etiam Cæsar sit nuncupatus, tamen necesse est ut prius de Numeriano loquamur, qui patris sequutus est mortem: post de Carino, quem vir Reip. necessarius, Augustus Diocletianus, habitis conflictibus interemit.

FLA-

CASAUBONUS.

¹ Licet plane ac licebit per sacratissimum principem Maximianum Persas vincere.] Hæc eo tempore scribebat Vopiscus, quo Maximianus contra Persas & Narseum Armenia regem bellum in Oriente gerebat. rerum ab eo gestarum meminerunt Aurelius Victor & historici in Diocletiano. Eumenius Pro restaurandis scholis: sibi ad hæc singula intuentium animus affingit aut sub tua Diocletiane clementia Ægyptium furoreposito quiescentem; aut te Maximiane Cæsar Persicos arcus pharetrasque calcantem.

² Et futurum reor, si à nostris non deseratur promissus numinum favor.] Galerium auctor innuit, qui ex invidia, ut creditum est, Maximianum impediit, ne finem bello Persico quem sperabat, imponeret. constituerat enim non prius ab armis recedere quam Persidem vel Armeniam in provin-

cia formam rede gisset. Aurelius Victor de Maximiano contra Persas & Armenos belligerantes: adeo victor, ut ni Valerius, cujus nutu omnia gerebantur, incertum qua causa abnuisset, Romani fasces in provinciam novam ferrentur.

³ Ita inter bella patiendo contudit, v.] Male alii libri patiendo. significat victos Sarmatas à Caro patientia & stratagematis potius quam ferro.

SALMASIUS.

³ Ita inter bella patiendo contudit.] Editio prima: ita sic inter bella patiendo contulit: corruptissime.

⁴ Cujus & vicinior patri, & admirabilior.] Eadem: cujus est mentio qui & patri mirabilior per socerum, etiam vitiosissime.

GRUTERUS.

³ Ita inter bella patiendo contulit.] Palat. patiendo.

⁴ Cujus & vicinior patri.] Pal. Injunctus & junctior patri.

Ddd 3

I FLA-